

374

372

378

**De loco, in quo Christus flentibus mulieribus dixit:
filiae Jerusalem etc.**

368

Ulterius cum processissemus per viam Domini durissimam,
et iter laboriosissimum, quod cruce passus transivit, venimus
ad locum, ubi Dominus crucem bajulans audiens et videns
lamentabilem ululatum mulierum sequentium se praetermissa
furentis populi turba ad amantes et plangentes se foeminas
oculos et ora convertit, dicens: filiae Jerusalem, nolite flere
super me etc., ut habetur Luc. 23. In hoc loco sacro in ter-
ram prostrati singultibus et fletibus vestigia Salvatoris nostri
deosculati sumus, et indulgentias recepimus (†). Ibi etiam
quondam stetit ecclesia, cuius tamen nunc nulla apparent
vestigia.

383

363

423

323

473

273

**De loco, in quo beata Virgo perterrita paene exanimis
effecta.**

Transeuntes consequenter per sanctam et flebilem viam,
non absque copiosis lacrymis devotorum peregrinorum ad locum
venimus, ubi ad dextram viae partem est altitudo quaedam,
in qua stetit moestissima virgo Maria toto mane, quo filius
suus in praetorio apud judicem fuit, ut videret, quo duceretur,
et sequi posset. Cum autem vidisset filium inter duos latrones
procedentem cum gravissima cruce, coronam spineam ha-
bentem in capite, et vultum livorosum sanguine et sputis
dehonestatum, turbis armatorum circumseptum, mox exter-
rita corruit, et syncopizavit. In hoc loco geminato moerore
perturbati stetimus, et post orationes consuetas in terram
prostrati locum et humum sanctam deosculati sumus; indul-
gentias (††) plenas ibi habuimus. Hoc in loco quondam
solemnis stetit ecclesia, quae dicebatur ad sanctam Mariam
de Spasmo, ex quo ibi spasmatisavit. Hanc ecclesiam Sarra-
ceni destruxerunt, relinquentes muros eos stare, qui erant
fortes de quadris magnis, ut Sarracenus sibi super eos muros
habitationem erigeret, quia in delectabili loco est et alto. Nam
a loco Calvariae usque ad domum divitis epulonis est descen-
sus, et a loco, ubi Simon angariatus tulit crucem post Jesum,

Ende

Anfang